

ANEKS 4

Dekret zmiany tytułu kościoła w Skrzatuszu

CONGREGATIO DE CULTU DIVINO
ET DISCIPLINA SACRAMENTORUM

Prot N. 245/18

COSLINENSIS-COLUBREGANAE

Antiquissimis ex temporibus omnem curam habet Sancta Mater Ecclesia ut in medio uniuscuiusque communitatis christiana exstruatur sacra aedes, in qua populus fidelis in unum congregetur ad verbum Dei audiendum, ad preces intercessionis et laudis Deo fundendas maximeque ad sacra mysteria celebranda. Hoc etiam in loco in quo sanctissimum Eucharistiae sacramentum servatur, peculiaris imago exsistit Ecclesiae, templi Dei e vivis lapidibus aedificati.

Sic etiam in loco vulgo dicto *Skrzatusz* exstat aestimabilis ecclesia paroecialis, cuius tamen titulus *In Assumptione Beatae Mariae Virginis* saeculorum decursu sensim a conscientia christifidelium recessus est ob causam miraculosae statuae *Beatae Mariae Virginis Perdolentis*, iam a saeculo XVI in hac ecclesia adstante, quae magis magisque pietatem christifidelium fovebat. Nostra quidem aetate pietas mariana non solum paroecianorum de *Skrzatusz*, verum etiam omnium dioecesanorum propria est, quia ab anno 1972 ecclesia haec est sanctuarium dioecesanum in quo omnino cultus *Beatae Mariae Virginis Perdolentis* floret, cuiusque etiam memoria in Calendario dioecesano, die 15 septemboris, sub titulo *Beatae Mariae Virginis Perdolentis, Dominae de Skrzatusz*, est inscripta.

Quare instantे Excellentissimo Domino Eduardo Dajczak, Episcopo Coslinensi-Colubregano, litteris die 10 maii 2018 datis, haec Congregatio de Cultu Divino et Disciplina Sacramentorum, vigore facultatum sibi a Summo Pontifice FRANCISCO tributarum, attentis peculiaribus adiunctis pastoralibus, determinat conceditque ut titulus supradictae ecclesiae, etiam absque necessitate novae dedicationis peragendae, in posterum constet:

Beatae Mariae Virginis Perdolentis, Dominae de Skrzatusz.

Contrariis quibuslibet minime obstantibus.

Ex aedibus Congregationis de Cultu Divino et Disciplina Sacramentorum, die 23 novembris 2020.

+ Arturus Roche
Archiepiscopus a Secretis

Robertus Card. Sarah
Praefectus